

HISTORICA
DISSERTATIO

De uno ex Trinitate
carne passo.

Accedunt

HISTORIÆ PELAGIANÆ
HENRICI NORIS

Ab ANONYMI SCRUPULIS
Vindiciæ.

*Quid adhuc quaris examen, quod jam factum est
apud Apostolicam Sedem?*

S. Augustinus lib. 2. oper. imp. contra Julianum
num. 103.



VENETIIS, M.DC.XCVI.

Apud Paulum Balleonium.

SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIIS.

AD LECTOREM.

PAUCIS te volo, Lector optime; siquidem singulae praefationes quibusque hujusce operis Dissertationibus praepositae prolixioris in limine procemii onus imminuunt. Annus agitur alter & vicesimus, ex quo Historia Pelagiana ac Vindiciae Augustinianae auctore Henrico de Noris Augustiniani instituti viro in lucem prodire. Utrumque opus anno 1672. supremae Romanae Inquisitionis decreto à viris doctissimis Romae diligenti & accurato examine expensum, ac probatum, tantam statim Auctori gratiam apud Eminentissimos Patres conciliavit, ut eorundem rogatu Clemens X. Norisium inter Romanae Inquisitionis, uti vocant, Qualificatores adlegerit. Cùm anno proximo 1673. utrumque opus Patavinis typis excusum, ac dein iterum ac tertio extra Italiam impressum, per ora manusque Eruditorum volitaret, nonnulli, quorum nomina appellare exemplo nihil, filere humanitatis plurimum refert, utrique volumini primum quidem clanculario genuinum infingere coeperunt; dein animosiores facti, eadem apud Romanae Inquisitionis tribunal plurius errorum accusantes, alterum de iisdem examen impetrarunt. Ita anno 1676. laudati libri plurimum Censorum judicio expensi, indemnes, nullaque Theologica nota perstricti, æmulatorum impetum structasque insidias feliciter evaserunt. Interim Norisius in Pisana Academia Ecclesiasticae historiae professorem agens,

DISSERTATIO I. IN HISTORIAM CONTROVERSIÆ

De uno ex Trinitate passo.

Duturniori schismate, quo Orientalis Ecclesia ab Apostolica Romana Sede sejuncta fuerat, Hormisdæ Pontificis Maximi opera, ac Justinii Imperatoris pietate composito, veteres potius discordias desuisse, quàm pacem cœpisse, nova rursus suborta controversia monstravit. Illa quidem in angulo Scythiæ Europæ apud Tomos à paucis Monachis excitata, Orientem simulque Occidentem, ac Meridiem uno veluti momento instar incendii pervagata, per quinque ferè lustra Orthodoxos varias in partes distraxit. Quamvis autem Romanorum Pontificum, ac Imperatoris Justiniani edictis magnus tot litigiis dies impositus tandem fuerit, non defuere nostra ætate tum Sectarii, qui variatæ ea in causa sententiæ Romanos Pontifices impudenti calumnia accusarunt; tum scriptores quoque, qui Catholici & esse, & haberi volunt, qui ex antiquitùs ea in causa gestis, quibusdam prædamnatis famosis propositionibus defensionem comparare pertentarunt. Inde etiam duo nuperi Auctores ex descripta ea ipsa ab Henrico Noris controversia, eundem uti Romani Pontificis in definiendo infallibilitati obnoxium traducere conati sunt. Denique non una eademque est de ejusdem quæstionis auctoribus inter Historicos ac Theologos sententia; siquidem nonnulli Monachos illos Scythas in speciem quidem Catholicos, Eutychianæ tamen hæresi occultis artibus studentes obtrudunt, quos alii doctissimi Scriptores ab omni prorsus Eutychiano errore alienos locupletissimis testimoniis ostendunt. Induxi animum in hanc totam causam descendere, ac diu controversiæ propositionis statum, ejusque varios tum apud Catho-

A 4 licos,

DISSERTATIO II.

A P O L O G I A

MONACHORUM SCYTHIÆ

Ab Anonymi scrupulis vindicatur.



Scitis superioris dissertatione demonstratum arbitror; unde controversia de uno ex Trinitate primùm emerferit, quantivè insignium Virorum disputationibus discussa fuerit, priusquam ab Apostolica Sede in fidei canones referretur. Sequitur, ut à vetustioris ætatis contentionibus ad excitatas ejusdem effati occasione, nostro tempore accusationes stylum convertam. Nam Heterodoxi variatæ ea in causa sententiæ Apostolicam Sedem per calumniam infimulant. Præterea nescio quis Anonymus in quorundam scrupulorum pagellis Henricum Noris ob Monachos Scythas ab Eutythianæ hæreseos nota vindicatos, Romani Pontificis in rebus fidei definiendis, infallibilitati obnoxium facere pertentavit, quod ipsum alter vano licet conatu, fuerat antè molitus. Quamvis autem ex descripta proximè ejusdem controversiæ historia, universa accusatio non tantum infirmata, verum etiam exarmata prorsus, ac contrita appareat, induxi animum Sedis Apostolicæ ea in causa infallibilitatem nec à Romanis Pontificibus læsam, nec eandem à Norisio vel minima quapiam ratione perstrictam ostendere. Et primum quidem jam satis superque in præmissa totius controversiæ narratione ita explanatum est, ut nullis planè salebris asperari posse videatur. Hinc prius illud breviori quidem sed solidiori opera exequar; dein præstitam à Norisio iisdem Monachis Scythis advectionem, ab objectis à quopiam Anonymo scrupulis vindicabo.

DISSERTATIO III.

ANONYMI SCRUPULI

*Circa veteres Semipelagianorum Sectatores evulsi
ac eradicati.*



Litteram scrupulorum partem discussuro, veniam mihi opus est, quam haud sanè rogarem, nisi Anonymus novis iterùm suspicionibus non tam Norisii volumen onetare, quàm ejusdem Censorum judicium pulsare aggressus, id adeò tenui & exili apparatu tentasset, ut verear, ne mihi vitio vertatur, qui bonas horas tam levi operi refutando, perdidderim. Equidem scio, me actum agere, cum jam hac ipsa in causa plures doctrina ac eruditione percelebres tam luculenter ac disertè Norisio similiter pronuntiaverint, ut id illi solum ignorare possint, qui sua secum phantasmata agitan-tes, alienorum scriptorum penitus incuriosi, se ac sua tantum sidera norunt. In hac autem defensione adornanda, quòd tota in facto quæstio versatur, testimoniis potiùs quàm argumentis insistam; nisi ubi ab Anonymo objecta, solvenda venient. In priori scrupulorum parte Norisius inculabatur, quòd Monachos Scythas in utroque Orbe hæreseos damnatos, asseruisset Catholicos, imò & Orthodoxi dogmatis contra Eutychianos vindices ac defensores. In hac autem oppositum eidem crimen impingitur, videlicet, quòd plures Galliæ Episcopos, ac insignes Patres, & hos inter Vincentium Lirinensem Semipelagianis addixit. Hac novorum scrupulorum radix mihi levi brachio evellenda.

DISSERTATIO IV.

RESPONSIO

AD APPENDICEM

Auctoris Scrupulorum.

QUò obligatam in calce proximæ opellæ fidem impleres, mantissam adjicis in paragraphos tres distinctam, novosque iterum scrupulos excitas, præfatus, hæreticos non cessaturos confectaria tantoperè sibi in Norisiano volumine faventia ingerere, quousque eadem à Catholicis improbata, ac confutata non videant. Ita cum ignores, quid tot insignes Catholici Doctores Norisio similiter de Commonitorio Vincentii scripserint, contendis divinare quid de eodem sint in posterum hæretici memorati Auctoris libri beneficio scripturi. Hoc planè est, non videre quæ ante oculos habes, ac augurem prævidere, quæ postea hominum consilia futura sint. At enim *Hæreticos*, *hæreticos* tam frequenter commemoras, ut odioſo nomine harum rerum sive imperitis, sive incuriosis terricula injicias, & eo de nomine subinde Norisium graviore invidia oneres, & uti speras, etiam opprimas. Cum tam bellè de ignorantia invincibili ratiocineris, tuam sive in Catholicorum libris, sive in Heterodoxorum de Commonitorio sententiis ignorantiam superiori opere demonstravi, ut verear, ne proximus fastidio sim futurus, eadem toties repetendo, quæ semel sat erat vel indicasse. Enimverò tibi ostendi, Lutheranos summis præconiis Commonitorium excipere; illos autem hæreticos, qui Traditionem Patrum averſantur, Commonitorio pariter adverſari, ea ceteras inter ratione, quòd Auctor in Semipelagianis partibus fuerit. At omnes Orthodoxi Commonitorium commendant; non tamen omnes Catholici Auctorem Semipelagiano errore absolvunt. Norisius hoc alterum admittens, negat quidpiam auctoritatis eidem detrabi; cum tu secus pronunties.

Q Ille

DISSERTATIO V.

Janseniani erroris calumnia sublata.

HAtenus in rebus, quæ historiam attinent, versati sumus, in præsentia ad Theologicas disputationes stylus vertendus est. Nam Anonymus scrupulorum auctor, tertiam eorundem partem ex iis quæ ad Catholicæ fidei dogmata spectant, eo consilio construxit, ut Norisium prædamnati Janseniani erroris sectatorem ostenderet. Quò verò institutæ abs se delationi major ab accusatorum numero fides accresceret, veterem Geryonis fabulam ludens, semet ternos in homines momento muravit. Nam tres diversæ scriptiunculæ à diversis veluti auctoribus compositz prodire, quæ unius tantum mente conceptæ dubio procul intelliguntur. Prima quidem opella inscribitur: *De his quæ spectant ad fidem Catholicam*, Auctore Anonymo scrupuloso. Alterum opusculum titulum præfert: *Informatio de libro &c. ab uno Theologo Parisiensi*. Enimvero & scenam impletam, & fabulam jam paractam putabam; cùm improvise togatum inter utrumque Anonymum chlamydatum Eques occulta machina tractus, apparuit, qui plurima Italicæ epistolæ exemplaria sub hocce titulo quaquaversus sparsit: *Lettera d' un Cavaliere dimorante in Parigi ad un suo Amico in Italia*. Hæc tamen omnia unius artificis manu compacta tam certum est, quàm quod hoc ipsum tres illæ scriptiunculæ ostendunt. Nam initio Italicæ epistolæ, ea quæ in eadem continentur, auctorem habere dicuntur *un grand' huomo, Dottore insigne nella nostra Sorbona, di cui si dice, che abbia su questo stesso argomento data alle stampe una breve, ma nervosa e sugosa Operetta*. At cùm hætenus binæ tantum opellæ nempe Anonymi scrupulosi, & Informatoris Theologi apparuerint, horum alter in ea epistola magnus Vir ac Doctor insignis ridiculè æquè ac fraudulenter obtruditur. Equidem non geminos, sed unum eundemque fuisse, utriusque scriptiunculæ auctorem inde palàm apparet, quòd